

PROPOSITIONES

JURIDICÆ

Ex

Jure Canonico & Civili

DESUMPTÆ

P-18-0-1134

8°-1458

# PROPOSITIONES

## JURIDICO-CANONICÆ.

### I.

**C**um Jus Ecclesiasticum sit ex scriptura, Traditione, Canonibus Conciliorum, Decretis Pontificum & Doctrinis Patrum desumptum. Fontes Juris Ecclesiastici, ex quibus genera Ejus principia hauriri debent, sequentes assignari possunt: 1. Sacra Scriptura, 2. Traditio, 3. Symbola, 4. Consensus Ecclesiæ, 5. Decreta Summorum Pontificum, 6. Concilia. 7. Corpus Juris Canonici, 8. Corpus Juris Civilis. 9. Utriusq; Analogia 10. Observantia, 11. Authoritas Patrum. Accedunt Constitutiones Regnorum & Concordata cum Sancta Sede Apostolica inita.

### II.

**D**ecretum Gratiani per se non habet  
A2 au-



authoritatem legalem & vim decisivam Juris quoad omnia.

III.

**J**us Canonicum in utroq; foro observandum 1. quando aliquid agitur de Ecclesiis, Personis vel rebus Ecclesiasticis. 2. quando agitur de rebus spiritualibus 3. quando agitur de conscientia & peccatis.

IV.

**I**n materia indifferenti quodlibet Jus observandum in suo foro.

V.

**P**rovisi de Canonicatu, vel Dignitate in Ecclesia Cathedrali, item Provisi de Beneficio Curato, si intra duos menses ab obtenta possessione culpabiliter omiserint edere professionem Fidei, non possunt fructus facere suos post illud bimestre perceptos, donec dictam professionem.

professionem emittant; sed eos non obstante professione postea secuta tenentur in pauperes erogare, aut in Ecclesie fabricam. Fructus dicti probabilius restituendi sunt ante omnem sententiam Judicis

VI.

**R**escriptum tam justitiæ, quam gratiæ per dolum sub, vel obreptitiè obtentum, est ipso jure nullum, & vitiatum totaliter, etiamsi suppressio veri, vel expressio falsi non fuerit causæ finalis, modò tamen pertineat ad substantiam rei petitiæ.

VII.

**S**eclusò privilegio Apostolico Laici non possunt eligere Prælatum Ecclesiasticum, nulloq; alio modo ad id juris habilitari.

VIII.

**S**i postulatio concurrit, cum postulatione requiritur & sufficit conspiratio

ratio majoris partis Capituli: si verò cum electione, postulandus debet habere duas tertias, ut ejus postulatio fortiatur effectum.

IX.

DElegare potest, quivis Judex habens Jurisdictionem ordinariam: Delegatus tamen non potest subdelegare, nisi sit delegatus ad universitatem causarum, vel Delegatus Juris, aut Principis Supremi.

X.

Spectato Jure Naturali valet actus & contractus etiam metu gravi injustè incusso extortus: imo & spectato Jure positivo regulariter: quanquam tales actus rescindibiles sint, & per sententiam Judicis rescindi debeant.

XI.

EXemptio Personarum Ecclesiasticarum

tum a foro & jurisdictione Laicali non solum statuta est à SS. Canonibus (ut nemo negat) sed etiam Jure Divino, & quidem probabilius immediate saltem in thesi, hoc est in genere, & abstrahendo a casibus particularibus.

## XII.

**E**Tsi de Jure scripto quasi certum sit, quod Laicus non possit reconvenire Clericum coram Judice Laico; nihilominus spectato Jure consuetudinario probabilius est, quòd possit.

## XIII.

**S**I Judex ita longum, aut ita breve dilationis tempus determinet, ut alterutra pars merito conqueri queat, conceditur eidem appellatio.

## XIV.

**S**POLIATUS vi petiti Remedii Redintegranda, debet restitui etiam à possessore bonæ fidei.

## XV.

## XV.

**S**Equeſter Caſtri, quod Jus Patronatus, aut eligendi ad Beneficium ſibi annexum habet, lite pendentem eligere, vel præſentare ad Beneficium vacans poteſt, idq; ſive ſit ſequeſter voluntarius, ſive neceſſarius.

## XVI.

**S**criptura privata, cauſam debiti nullam expreſſam habens, ſcribenti etiam recognoſcenti illam regulariter non præjudicat, niſi adverſarius, qui in tali ſcriptura ſe fundat, cauſam debiti alia ratione probare poſſit.

## XVII.

**M**ateria Juramenti promiſſorii debet eſſe licita, adeoq; juramentum de re illicita factum, nullam parit obligationem, uti & Juramentum de re indifferente, aut impeditiva majoris boni, ſi fiat ſoli Deo

## XVIII.



## XVIII.

Juramentum non confirmat actum, vel contractum vi, metu injusto, vel dolo extortum, vel injuriam continentem ex parte illius, cui juratur, ita, ut rescindi non possit item jure naturali invalidum, item solo jure positivo irritum irritatione facta immediate principaliter propter bonum commune; confirmat tamen actus immediate & principaliter propter utilitatem privatam agentium, sive contrahentium irritatos.

## XIX.

Juramentum Judiciale specificè sumptum in defectu sufficientis probationis tam reus Actori, quam Actor reo deferre potest, non tamen Actor reo, si nihil ad huc prorsus probavit, idq; regulariter in omnibus causis civilibus; delatum verò præstari, vel referri necessario debet, & recusari sine justa causa nequit.

## XX.

XX.

**I**N Curatis obligatio residendi est ex Jure Divino & Naturali saltem in thesi.

XXI.

**N**ulla consuetudo absq; justa causa, potest efficere, ut quis licitè habeat plura Beneficia incompatibilia, bene tamen, si ad sit justa causa.

XXII.

**C**oadjutorem perpetuum seu cum Jure successionis solus Papa; temporalem verò Episcopis & Prælati exemptis regulariter etiam solus Papa; inferioribus autem non exemptis Episcopus vel superior Ordinarius dare potest.

XXIII.

**P**romissio Beneficii nondum vacantis sive certi, sive incerti, aut proximè vacaturi est ipso Jure nulla, et

si Juramentò, vel scripturâ firmata,  
sive à Collatore, sive à Patrono fa-  
cta sit.

XXIV.

**A**lienatio rerum Ecclesiasticarum,  
immobilium, vel mobilium pretiosa-  
rum sine aliqua justa causa & sine  
solemnitatibus debitis attentata, ipso  
Jure est irrita, in quantum exigit  
favor Ecclesie.



A. J. ...  
... ..  
... ..

... ..  
... ..  
... ..  
... ..  
... ..



# PROPOSITIONES

## Juridico-Civiles

Ex

### LIBRO I.

#### INSTITUTIONUM IMPERIALIUM

I.

Jurisprudentia est Scientia propriè dicta, eaq; practica. Quæ speciei habitus practici, toll Prudentiæ accensenda est.

II.

Justitia legalis à reliquis virtutibus est virtus distincta.

III.

IN administratione justitiæ, si verba Legis sint clara, jus strictum observan.

vandum est, si recipiant interpreta-  
tionem, æquitatis ratio magis habenda est.

IV.

**I**N impositione pænarum proportio arithmetica, non geometrica servanda est.

V.

**J**uri tam publico, quam privato nemo pactis propriis contravenire & derogare potest.

VI.

**J**us naturæ rectè definitur, quod sit ordinatio Divinæ sapientiæ per dictamen Synteresis naturæ rationali manifestata, præcipiens rectæ rationi consentanea, & prohibens dissentanea. Nulla ejus divisio, in *primarium*, quod brutis & hominibus commune est, & *secundarium*, quod solis hominibus proprium est.

VII.

**J**us naturale propriè tale, mutationis veræ est incapax. Unde falsa est eorum opinio, qui juri naturali immutabilitatem universalem asserunt.

VIII.

**J**us Divinum tam Mosaicum morale, quàm Evangelicum, si sit præceptivum, aut prohibitorium, æquè ac Jus naturale a potestate humana est immutabile.

IX.

**D**atur Jus Gentium, illudq; a Jure naturali, & positivo specie distinctum.

X.

**M**ateria Juris Gentium sunt ea omnia, quæ ex fine suo tendunt ad convenientem communicationem & emolumentum Gentium, quæ talium. Ut sunt: Divisio Gentium, bellum justum



justum, pax, fœdera, Legatorum admissio, & immunitas, repressaliæ, commerciorum libera facultas, servitus; Jus sepulturæ, jus præscriptionis, usus moneræ, jus eudendæ, & valoris tribuendi.

XI.

**L**egislator humanus non recognoscens superiorem, si se solo legem ferre possit, neq; vi legum suarum coactiva, neq; directiva directa, imo neq; directiva indirecta tenetur, si legis observatio non æquè Legislatorem ac subditos deceat.

XII.

**P**eregrini tenentur legibus loci, per quem transeunt. Absentes verò non tenentur legibus proprii domicilii, si existant in alio territorio a lege tali immuni, vel in loco quidem sui territorii, sed a lege tali exempto.

XIII.

**L**ex prohibens, de Jure Civili actum reddit invalidum.

XIV.



XIV.

**L**egiflator humanus actus merè internos directè præcipere non potest; obligare tamen in conscientia potest.

XV.

**A**D obligationem legis populi acceptatio non requiritur.

XVI.

**A**D validam Privilegii concessionem nulla requiritur causa; bene verò ad licitam.

XVII.

**C**onversudo per actus formaliter malos potest introduci, ad quam introducendam sufficit Principis consensus legalis.

XVIII.

**P**otestas patria competit in Liberos ex justis nuptiis procreatos, etiam ex-  
B hære-

hæredatos, non tamen emancipatos,  
aut expositos.

XIX.

Potestatem Patriam tribuunt justæ  
nuptiæ, legitimatio, & adoptio.

XX.

Legitimatio per subsequens matri-  
monium non confert jus primogeni-  
turæ.

XXI.

Adoptio in specie ab ascendente fa-  
cta efficit patriam potestatem, secus;  
si ab extraneo fiat. Unde ignobilis  
adoptatus ab extraneo & nobili non  
consequitur nobilitatem.

XXII.

Corruente testamento ex defectu so-  
lemnitatum, corruiat tutelæ datio; da-  
tus tamen tutor propter iudicium pa-  
tris à Judice confirmandus est.

XXIII.

XXIII.

**T**utela legitima non solum agnatis, sed etiam cognatis deferri debet.

XXIV.

**J**udex propria auctoritate, & non imploratus potest dare tutorem, eumque etiam invitum ad tutelam administrandam cogere.

XXV.

**O**mnis tutor potest conveniri ad reddendas administrationis suæ rationes de jure communi post pubertatem; secundum Recessus Imperii, singulis annis.

XXVI.

**A**uctoritas à Tutore interposita si non accedat, nullus contractus à pupillo, vel cum pupillo, nullaque negotia, quibus conditionem suam deteriore reddat, gesta valent.

B<sub>2</sub>

XXVII.

## XXVII.

Minor (idem de pupillo dicendum) ex contractu etiam cum consensu Curatoris celebrato notabiliter læsus, potest petere restitutionem in integrum.

## XXVIII.

Tutores & Curatores regulariter cavere debent per fidejussores, non per pignora. Excipiuntur tamen tutores dativi cum inquisitione, & testamentarii.

## XXIX.

Quamvis omnis de populo tutorem suspectum postulare potest, pupillo tamen ejusmodi postulatio de jure non conceditur.

## XXX.

Insistendo Juris Civilis principiis probabilius est tutorem, vel curatorem remotum ob culpam latam æquè fieri infamem, ac remotum ob dolum; sed in praxi non est tenendum. Ex

# EX

## LIBRO II.

### I.

**R**erum divisio non præjudicat extreme necessitati.

### II.

**R**es Divini Juris verè tales. ut sunt Sacrae, religiosæ; vel quasi tales, nimirum, Sanctæ eximuntur humano commercio.

### III.

**R**es humani juris, ut sunt: communes, publicæ, universitatis, & privatæ subsunt humano commercio; sed secundum diversitatem essentiæ, proprietatis & usus earum est diversus.

### IV.

**D**atur verum dominium non solum rerum

rerum corporalium, sed etiam incorporalium.

V.

**B**onæ fidei possessor fructus formaliter existentes revocabiliter facit suos, consumptos verò irrevocabiliter, licet factus sit locupletior.

VI.

**P**ossessor bonæ fidei impensas in rem universalem, aut singularem factas, tam necessarias, quam utiles, imo & voluptuarias, si dominus probabiliter eas factururus fuisset, aut res prodest venalis, deducit.

VII.

**S**ervitutes tam continuæ, quàm discontinuæ eodem tempore præscribuntur, scilicet: inter præsentis decenniò, inter abentes vicenniò, ad quarum præscriptionem sufficit titulus præsumptus.

VIII.

## VIII.

U<sup>S</sup>us fructus ab emphyteuta, etiam inconsulto domino, constitui potest.

## IX.

U<sup>S</sup>us rerum unico usu consumptibilium tam revocabiliter, quam irrevocabiliter concessus, separabilis est a dominio.

## X.

P<sup>R</sup>æscriptio in foro interno & externo quemq<sup>ue</sup> securum reddit.

## XI.

N<sup>U</sup>lla præscriptio cum dubio speculativo, vel practico inchoari potest; quæ tamen semel ritè inchoata superveniente dubio speculativo non interrumpitur.

## XII.

D<sup>O</sup>natio omnium bonorum valet; indefi.

definitè tamen facta non comprehendit bona futura.

XIII.

**D**ONATARIUS omiſſa inſinuacione exceſſum ſalva conſcientiâ retinere poteſt, donec a donante, aut ejus hæredibus repetatur, vel per Judicis ſententiam donatio revocata fuerit.

XIV.

**D**ONATIO non ſolum ob cauſas ingratitudinis, ſed etiam ob adventum liberorum revocari poteſt.

XV.

**P**UPILLUS (idem de minore) non interveniente auctoritate tutoris rem ſuam alienare non poteſt.

XVI.

**M**ARITUS rem dotalem immobilem,  
aut



aut mobilem servando servabilem alienare nequit.

XVII.

Creditor esto dominus pignoris non sit, illud tamen, sive pactum adjectum sit de alienando, sive non, alienare non prohibetur.

XVIII.

Filius in peculio adventitio extraordinario plenam consequitur proprietatem.

XIX.

Legatarii æquè in testamento nuncupativo, ac scripto testes esse possunt.

XX.

Non valet testamentum, si nuncupatio hæredis fiat per relationem ad schedam.

XXI.

## XXI.

Testamentum in ratione scripti attentatum, sed ob defectum alicujus solemnitatis invalidum, saltem in vim nuncupativi valet, si habeat omnia requisita ad nuncupativum.

## XXII.

Legitima quoad congruam sustentationem de Jure naturæ, quoad excessum, vel portionem legibus constitutam, vel jus succedendi de Jure Civili Liberis debetur.

## XXIII.

Testamentum, cui nulla exhæredationis causa, aut alia, quàm relata in *Novella 115. Cap. 3.* inserta est, ipso jure nullum est; ast quoad legata & fideicommissa sustinetur.

## XXIV.

Probatio causæ exhæredationis in  
testa-

testamento allegatæ est de essentia ex-  
hæredationis.

XXV.

**R**epudiante hæreditatem filio, pa-  
ter a substituto excluditur. In quem  
autem jure sanguinis, vel jure delibe-  
randi hæreditas transmittitur, potior  
est substituto.

XXVI.

**I**n quærela in officii si testamenti da-  
tur locus edicto successorio, sive in  
eodem ordine, sive in diverso ve-  
niant succedendi.

XXVII.

**N**on solum in conjunctione reali  
tantum, sed etiam in verbali tantum  
datur jus accrescendi.

XXVIII.

**H**ypotheca, quam habent legatarii,  
æquè

æquè ipsam rem legatam, ac reliqua  
bona testatoris afficit.

XXIX.

Filius fideicommissio universali gra-  
vatus præter legitimam, potest dedu-  
cere Trebellianicam.

XXX.

Si testamento filius sit præteritus, aut  
illegitimè exhæredatus, & testator  
clausulam codicillarem adjecerit, e-  
jusmodi testamentum flectitur in fi-  
deicommissum.

Ad Majorem DEI  
Gloriam.



Defendentur publicè in Collegio Studii  
Universitatis Zamoscensis, Disputantibus  
in contrarium Religiosis PP. Sacrae The-  
ologiae Doctõribus, & Studii Regenti-  
bus Minorum Conventualium, ac P. P.  
Sacrae Theologiae Lectoribus, Reformatis,  
Ordinis S. FRANCISCI, Conventuum  
Zamoscensium. Ad objecta respondentibus  
V. DANIELE NYKO AA. LL. &  
Philosophiae Baccalareo, & Generoso  
VALENTINO SZCZESKI Juris U-  
triusq; Auditoribus. Annõ Domini 1778.  
Die 16. Mensis Julii.



KSIĘGOZBIÓR  
MARCINA ZAMOYSKIEGO

4759

-KZ



4771-42



